

positus, Meinherus Misnensis burchravius, Helwicus marscalcus de Goltbach, Rudolfus de Luppe, Matheus de Misne, Gutmanus, Wernerus et Albertus fratres de Droguz, Arnoldus cappellanus sanctae Crucis, magister C. curiae nostrae notarius, Johannes cappelarius et alii quam plures.

Nach dem Orig. im Archiv des Proc.-Rentamts zu Meissen. Das an rothseidenen Fäden befindlich gewesene Siegel ist abgefallen.

No. 410. 1259. 1. Juli.

Das Kloster zum h. Kreuz bekennt 4 Hufen in Pezle vom Kloster zu Mühlberg gekauft und dabei sich unter Vorbehalt des Vorkaufsrechts zu Leistung eines jährl. Zinses von 8 Mark an den Kaufmann Joh. gen. von Kustraze zu Oschatz verpflichtet zu haben.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Gerhardus dei gratia praepositus, Mechtildis abbatissa totusque conventus Vallis sanctae Crucis iuxta Misnam universis Cristi fidelibus praesentem paginam inspecturis salutem in domino sempiternam. Quia labente tempore labitur humana mortalitas et testimonium praesentium hominum ad futuros non extenditur, nisi scripti testimonio roboretur, notum igitur esse cupimus universis tam praesentis quam futuri temporis fidelibus christianis, quod nos de Molbergensi ecclesia consentiente conventu eiusdem ecclesiae receptis ab eis privilegiis et consensu domini Heinrici Misnensis marchionis obtento, quatuor mansos in villa nostra Pezle pro octoginta marcis ad liberam proprietatem ecclesiae nostrae Vallis videlicet sanctae Crucis comparavimus perpetuo possidendos, de quibus quatuor mansis Johanni mercatori de Ozzetz dicto de Kustraze et suis heredibus octo marcas de consensu capituli nostri in perpetuam hereditatem contulimus annuatim, quarum marcarum in festo Egidii quatuor, in festo Martini duas, in festo Walpurgis duas Misnensis ponderis dabimus dicto Johanni et suis heredibus tenebimur dicto iure. Praeterea saepe dictus Johannes et sui heredes ecclesiae nostrae in talento cerae in purificatione beatae virginis tenebuntur annis singulis deservire. Si autem idem Johannes vel sui heredes praedictas octo marcas vendere vel distrahere decreverint, pro tanto quanto comparatae sunt, exhibebunt ecclesiae nostrae primitus redimendas. Quodsi ab ecclesia nostra redemptae non fuerint, habebit idem Johannes et sui heredes cuicumque voluerint vendendi et distrahendi plenariam facultatem. Ne igitur aliquis successorum nostrorum ipsum vel suos heredes in tam rationabili facto valeat impedire, praesentem ei paginam nostrae ecclesiae sigillo roboratam dedimus ad cautelam. Testes huius rei sunt dominus Heinricus Misnensis maioris ecclesiae praepositus, dominus Sifridus decanus, dominus Johannes praefecti filius, dominus Heinricus de Lubene Misnenses canonici, dominus Vlricus miles de Serusen et frater suus dominus Wernerus, Bertoldus de Wasmutz, Martinus de Stuchowe. Acta sunt haec anno gratiae M^o.CC^o.LIX^o. Kal. Julii, indictione secunda feliciter. Amen.

Nach dem Orig. wie No. 409 mit dem Siegel an einem Pergamentstreifen.